



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCXXXIV. De Morte ferè quingentorum Lethovvinorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

PARS TERTIA

Conradus de Feuchtwangen X. Mag. Gen. Ord. Teut.  
Meneko de Querfurt XII. Mag. Prov. in Prussia.

statim iter redeundi sunt aggressi. Fratres verò de Raganita turbati de interitu suorum, futurum periculum præcaventes, miserant nuncios, qui vias custodirent, quorum unus cum festinatione reversus, ait: Se prædictos latrunculos vidisse. Unde frater Ludovicus de Libencele & Fr. Marquardus de Revelinge cum duobus fratribus & XXVI. armigeris secuti, invaserunt eos in quodam campo & XXV. ex eis occiderunt.

CAP. CCXXXIV.

De

Morteferè quingentorum Lethovvinorum.

¶ Odem anno & tempore (a) Sesbuto Lethovinus cum quingenitis viris præelectis intravit Poloniam, & præter multa mala, quæ ibidem gessit, duxit secum tam hominum quam aliarum rerum magnam prædam. Ille Sesbuto licet esset cum infidelibus, occulte tamen dilexit fratres, antequam exiret cum isto exercitu, præmunitivit eos. Unde Magister fratrem Henricum (b) Zutsvvert XXIX. fratres cum MCC. viris misit eis in occursum, qui venientes in solitudinem inter duos fluvios scil. (c) Liccam & (d) Naram per octo dies ipsos cum magno tædio & defectu victualium exspectabant. Tandem dum revertentes essent in vicino, primus Lethovinus in acie missâ sorte clavavit: Væ nobis male ibit negotium nostrum, quem Capitanus increpavit, ut taceret. Ille autem non cessavit id ipsum clamare, quo usque fratres cum suis de insidiis erumpentes infilirent in eos, & (e) CCCL. ex ipsis occiderent, alii fugerent, & in solitudine quidam præ tristitia se suspenderunt, reliqui siti & fame attriti moriebantur, sic quod pauci sine mortis periculo evaserunt.

AN-

miti



CHRONICI PRUSSIÆ.

Conradus de Feychtwangen X. Mag. Gen. Ord. Teuton.  
Meneko de Querfurt XII. Mag. Provinc in Prussia

313

A N I M A D V E R S I O N E S.

- (a) Jeisbutte habet Jeroschinus, alii Jesbute.
- (b) Zulesswerth habet Jeroschinus & Chron. M. S. Germ. antiqu. in 4.
- (c) Malè Kojalovicius legit Eleam. Licca enim fluvius, quem Licca oppidum auctorem sui nominis nuncupat, notissimus est, influitque in Narvam.
- (d) Narva fluvius Masoviæ, qui se in vistulam exonerat.
- (e) Alia Chronica habent CCCC.

CAP. CCXXXV.

De

*Consolatione fratrum & Christi  
fidelium.*

Hoc tempore antequam idem Exercitus fratrum obtentâ victoria rediret, frater Meneko Magister cum quibusdam Praceptoribus sedit sollicitus de Exercitu prædicto, quia longam moram contraxerat ultra tempore debitum redeundi, turbatusque de morte Commendatoris de Raganita & suorum, & cum sic tristes conferrent ad invicem, venit nuncius, qui dixit, quod fratres de Raganita XXV. latrunculos occidissent; Adhuc illo loquente intravit secundus, qui cum victoria redire fratrum Exercitum affirmabat. Vix iste verba finierat, & supervenit tertius, qui quendam Principem, qui voluit, ut communiter referebatur, sibi Pruschiæ terram ejectis fratribus subjugare, mortuum nunciat. Gavisi sunt ergo Magister & fratres gudio magno, & immensas gratias DEO, qui consolatur suos in omni tribulatione de tot beneficiis, referebant. Ecce quomodo justo DEI Judicio mundus, qui ante gaudebat, turbatur, & fratrum tristitia in gaudium est conversa.

CAP.

